

DE

LEGENDIS AUCTORUM CLASSICORUM LIBRIS

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

A U G . H Ö L S C H E R .

FRIEDR ALBERTI LIBRARY

COLLECTION

1860

БИБЛІОТЕКА



DE LEGENDIS AUCTORUM CLASSICORUM LIBRIS.

§. 1.

Tredecim abhinc annis gymnasii Recklinghusani annalibus dissertationem „de lectione s. Scripturae“ praefigendam curavi eo maxime consilio, ut adolescentes christiani, litterarum studiis dediti, a pravis et perversis, quae ab inimicis s. Ecclesiae circumferuntur, sententiis arcerentur, et quicunque summa s. Scripturae dignitate perspecta eam legere accingerentur, consiliis s. Patrum et decretis Ecclesiae iusta ac debita obsequia praebherent, neque libros divinos accederent, nisi fideli, sincero pioque animo.*). Eodem discipulorum utilitatis curandae studio incitatus hanc de legendis scriptorum gentilium libris commentationem scribere constitui, quo facilius adolescentes classicos auctores ex virtute pendere possent, et auctoritatem s. Patrum ac paecepta Ecclesiae reveriti iustum eos legendi et interpretandi rationem amplectenter, obtrectatorum vero voces nihil curarent. Fuerunt enim non solum fidei catholicae inimici, qui odio contra Ecclesiam incensi acerbe eam coarguerent, quod omni verae cognitioni repugnans praeter s. Scripturam etiam libros gentilium vetaret, sed novissimis temporibus etiam viri complures exstitere, qui religionis catholicae studiosissimi Ecclesiam nominatum paecepisse contendant, ne scriptores classici in scholis legantur, neque dubitandum esse dicant, quin impietas moresque pravi plurimorum hujus aevi hominum inde originem duxerint, quod illud paeceptum non observetur. Utrique uno ore confidenter affirmant, Ecclesiam catholicam severe interdicere, ne scriptores ethnici ab adolescentibus legantur, neve iis paelegantur sive explicentur, hoc autem inter se differunt, quod illi probra

*). Haec dissertatio, quae quidem non est tradita bibliopolis vendenda, me inscrite in germanicum versa denuo prodiit anno 1846 Rubrae Villae, inscriptione in hunc modum mutata: „Wie darf und soll der Katholik nach der Lehre seiner h. Kirche die Bibel lesen?“ Qui hunc laborem suscepit, nomen quidem suum non edidit, candide tamen professus est, se hunc libellum ad verbum de latinis vertisse, ut quam plurimis ad eum aditus pateret.

in eam iactant acerba, hi contra summis eam laudibus extollunt, gravissime vero in gymnasia et scholas publicas invehuntur, quippe quae auctoritate Ecclesiae despecta libros gentilium maxime pestiferos pueris et adolescentibus legendos proponant. Quam perniciosa et in fidem et in mores vim exerceant scripta gentilium, uberrime expostum est in libro quodam, anno 1851 Parisiis edito, qui inscribitur: Le ver rongeur des sociétés modernes ou le paganisme dans l'éducation par l'Abbé J. Gaume; cuius libri auctor non solum firmare studet, societatem hominum ex illis scriptis gentilium venenum paganismi funestum hausisse, quo libido, impietas, voluptatum cupiditas incrementum horrendum cepissent, sed etiam ostendit, s. Concilium Tridentinum omnino illos libros in scholis publicis legi vetuisse. Operae igitur protecto pretium est, accuratius inquirere, num ii, qui catholicae fidei addicti sunt, libros classicos legere religioni sibi habeant et sollicitudine agitantur oporteat, ne Ecclesiae voluntati repugnant; num in primis gymnasia publica, in quibus illi auctores antiqui adolescentibus legendi proponuntur, praecepsis Concilii Tridentini omnino oblectentur. —

Illud sine dubio: si verum est, Ecclesiam usum illorum librorum fidelibus interdixisse, abiecta omni cunctatione quemvis religioni catholicae addictum illos libros prohibitos fugere oportet. Persuassimum enim nobis est, infallibile illud Ecclesiae magisterium non solum doctrinam et fidei et morum a Jesu Christo praedicatam integrum servare sensumque eius genuinum certo explicare, sed etiam Spiritus sancti gratia illuminatam Ecclesiam, tanquam matrem providam, quovis tempore filiis prospicere et talia praecepta edicere, quibus obsecuti fideles facillime aeternam salutem assequi possint. Quisquis igitur de certa animi persuasione ita iudicaverit, animo confidenti Ecclesiae patrocinio se commendat eiusque auctoritatem sequitur, firma spe fretus, fore ut provida ipsius sapientia optima quaeque constituat malisque imminentibus quam maturime occurrat. Iam vero quamvis ipsa s. Synodi Tridentinae decreta nondum cognoveris, tamen quid Ecclesia de legendis libris gentilium censeat, magnam partem facili negotio coniicere licet. Quum enim ex illo tempore, quo sacrosanctum illud Concilium habitum est, gymnasiorum discipuli illos libros continuo legerint, nec unquam aut a summo Pontifice aut a reliquis episcopis haec ratio studiorum reprehensa sit, dubitare non possumus, quin usus illorum librorum Ecclesiae voluntati conveniat; id quod progrediente disputatione luce clarius apparebit. Quanquam autem viri clarissimi ac doctissimi et antiquis et novissimis temporibus de hac re scripserunt, et imprimis fere omnia a Gaumio allata argumenta a pluribus gallicis scriptoribus maxima cum sagacitate ac doctrina confutata sunt: tamen operaे pretium me facturum confido, si ea proponam, quae studiosae iuventuti utilia fore videantur, ut ex libris classicis quam maximum fructum capere possint. — Hanc vero disputandi viam secu-

tus sum, ut primum fructibus praclaris, qui ex libris classicis percipi possint, expositis paucis dicam, quae pericula unumquemque in legendis illis libris vitare oporteat; deinde de hoc quaeram, num haec pericula tanta sint tamque gravia, ut omnes scriptores antiqui pueris et adolescentibus litterarum studiosis subducantur necesse sit, ne eorum fides sincera turbetur, mores corrumpantur; postea proponam, quam in hac re agendi rationem hucusque secuta sit s. mater Ecclesia, in primis quid de legendis antiquorum libris s. Patres censuerint, quid preeceperit s. Synodus Tridentina; postremo duce potissimum s. Basilio Magno viam tutissimam monstrabo, quam ingressi adolescentes ex libris gentilium fructus uberrimos percepturi sint.

§. 2.

Praeter s. Scripturam non ullos unquam libros scriptos esse constat, quos per octodecim secula tam multi homines summa diligentia et oblectatione legerint summoque studio commentati sint, quam libros auctorum classicorum; quippe qui sexcenties summo labore transcripti et in diversissimas linguis translati, sexcenties typis descripti sint. Cuius rei quae sint causae si disquiramus, hoc certe non contemnendum videtur, quod in illis libris enarrantur ea, quae a duabus illis gentibus, inter antiquas clarissimis, gesta sunt, quaeque illis acciderunt; quod terrarum, in quibus habitaverunt, natura situsque accurate describitur; quod mores, instituta, sapientia, artes litteraeque iliarum gentium et plurimarum, quibuscum amicitia et commercio erant coniunctae, propoununtur, ut paucis dicam, quod egregia cognitio antiquitatis ab illis auctoribus nobis communicatur. Quanquam autem haud parum hac re delectamur, et magnopere nos iuvat videre, quantum profecerint antiqui in reperiendis iis, quae ad usum vitamque communem spectant, preecipue autem in cognoscendo vero atque honesto: tamen quum haec omnia ex illorum librorum conversionibus, quibus abundamus, affatim perspici licet, hoc consilio tantum laborem, studium et operam in ediscenda lingua graeca atque latina consumere, supervacaneum videri possit, neque iustum ac conveniens fuerit, ob eam rem adolescentibus litterarum studiosis antiquorum scriptorum libros pree ceteris tractandos proponere. Num igitur iis assentiamur, qui litteris graecis ac latinis scholarum discipulos facile supersedere et in earum locum alia suffici posse contendunt, quae ad vitae usum multo magis accommodata et ad erudiendam iuventutem multo utiliora sint? Minime vero; summo enim iure quam plurimi et antiqui et nostri temporis viri doctissimi libros classicos ceteris omnibus ea potissimum de causa praefrendos esse iudicarunt, quod venustate, elegantia et sinceritate orationis mirum quantum excellant, et ad animos adolescentium sensu honesti, veri ac pulcri imbuendos

maxime idonei sint. Antiqui scriptores poeticae, rhetoricae, historiae, philosophiae, aliarum disciplinarum regulas scite atque eleganter proponunt; quae quidem disciplinae licet posteris temporibus magnopere exultae et adauctae sint, tamen tanta arte ac venustate, tam subtili iudicio, tam eleganti verborum delectu illustratae sunt ab antiquis, ut eorum libri ad sensum elegantiae acuendum plurimum valeant, ex iisque litterarum studiosi mirificam capiant voluptatem. Accedit, quod scripta antiquorum exempla orationum omniumque fere poesis generum praeclara et omnibus numeris absoluta proponunt, quae laude et imitatione dignissima esse viri docti uno ore consentiunt. Quos tamen omnes fructus non percipies, nisi ipsa antiquorum opera latino ac graeco sermone scripta adieris; quisquis enim eorum conversionibus quamvis accuratis utitur, plurimas eorum virtutes animo comprehendere et percipere nequaquam poterit.

Respiciamus, quaeso, praeterea, quantum valeat ad excolendas ingenii facultates ipsius sermonis et graeci et latini studium. Quum enim gentes antique et loci natura et legibus, institutis omnique genere vitae, et maxime cogitandi ac dicendi ratione ab omnibus nostri temporis gentibus quam plurimum differant: summopere certe iuvabit adolescentem, eorum, quae antiqui auctores scripserunt, sensum genuinum accurate cognoscere, et quum mente percepit, suo sermone enucleate exprimere, neque minus ea, quae ipse senserit et cogitaverit, antiquorum sermone dilucide proferre; quo studio acies ingenii mirum quantum augetur, praesertim quum lingua et graeca et latina quam maxime exultae earumque monumenta perfectissima sint. — Quid vero dicemus de vi benigna ac salutari, quae inest artium ingenuarum studio ad vitam conformandam moresque mitigandos et ad virtutis amorem excitandum! Quicunque animo attento legunt, quantis laudibus antiqui poetae virtutes clarorum virorum extollant, quanta eloquentiae vi oratores studium virtutis celebrant, quam acerbe in homines impios ac nefarios invehantur, quanta severitate omnia turpia ac foeda castigent: quo scelerum odio arbitraris animos adolescentium Christi fidelium imbutum iri, quo studio non solum amorem patriae ac parentum, constantiam, iustitiam, temperantiam, reliquas antiquorum virtutes, sed etiam eas, quae antiquis ignotae christiana religione nobis commendantur, esse amplexuros! — Quae quum ita sint, non dubitaverim, notum illud Ovidii:

didicisse fideliter artes,
emollit mores, nec sinit esse feros,
ad lectionem librorum classicorum referre, quam quidem eosdem fructus laturam esse
confido, quos ex studio artium optimarum redundare Cicero his verbis affirmat: „Haec
studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis refu-

gium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.“ (Orat. p. Archia poeta c. 7, n. 16).

Una adhuc restat causa, quam hoc loco minime praetereundam censeo, cur praecepit iis Christi fidelibus, qui doctrinae atque artium liberalium studiis erudit etiam doctrinam sacram accuratius perspectam habere velint, libri classici perquam utiles, ne dicam necessarii, putandi sint. Nam quum et libri divini N. T. et opera s. Patrum et doctrinae ac praecepta Ecclesiae atque summorum Pontificum eodem sermone, quo utebantur auctores classici, conscripta sint, sive graeco sive latino, facile est ad intelligendum, quisquis illos doctrinae sacrae fontes ipsos adire voluerit, eum litteras et graecas et latinas luculenter callere opus esse, quas tamen penitus et diligenter percepisse nequit, nisi qui illis antiquorum libris magnam atque assiduam operam dederit. Neque vero ad sermonem solum, quo scripti sunt libri divini, intelligendum, sed etiam ad ipsam doctrinam sacram, quae his libris continetur, perspicendam ac cognoscendam plurimum valet studium scriptorum classicorum. Scriptura sacra et V. et N. T. vanas ac commenticias gentium antiquarum de rebus divinis opiniones sive uberius sive strictim nobis proponit, et partim perspicuis verbis, partim levibus indicis nos docet, quam cognoscendi atque agendi viam ac rationem gentes a religione christiana alienae ingressae sint, quibus superstitionibus tristissimis, quantis erroribus et commentis gentiles, ingenio quamvis acuto, obnoxii fuerint; praeterea sapienter gravissimis verbis ostendit, a Deo vero alienos in omni dedecore voluntatis esse, et scelera ac flagitia turpissima admisisse, neque tamen, licet omnium rerum copia afflentes et libidinum voluptatibus deditissimos animi tranquillitatem ac pacem assequi potuisse. Eandem fere rationem valere videmus, quum revolvimus scripta s. Patrum et praecepta Ecclesiae prioris maxime aevi, in quibus saepissime nobis oblatum reperimus magnum illud certamen, quod egregii episcopi ac doctores Ecclesiae contra infideles atque ethnicos scriptores conseruerunt, quorum argumenta singulari acumine ingenii gloriose refutavit. Inde luce clarius appetat, quanti momenti sint scripta antiquorum, ut et penitus perspiciamus sacram Ecclesiae doctrinam, et persuasum habeamus, Apostolos summo iure Deo Patri gratias egisse, „qui eripuerit nos e potestate tenebrarum, et transtulerit in regnum filii dilectionis suae,“ (Coloss. 1, 13) et „qui de tenebris nos vocaverit in admirabile lumen suum.“ (1 Petr. 2, 9.)

§. 3.

Ne vero antiquis scriptoribus nimium favere videamur, neve quis iis, quae diximus, inducatur, ut nimium illis tribuat et in maius eos extollat; respiciamus magna peri-

cula, in quae facile ii incurrere possunt, qui in legendis veterum libris diu multumque versantur. Scripta antiquorum vanis opinionibus referta ac perfusa sunt de multis diis immortalibus, quos non solum magna auctoritate ac potentia ornatos, sed etiam libidinibus agitatos, vitiis obrutos videmus. Quibus commentis adiunctae sunt fabulae ridendae ac pueriles de deorum conviviis, rixis, amoribus, ineptiae de vaticiniis, auguriis, ominibus, quas a poetis, interdum etiam ab aliis scriptoribus antiquis narratas ac probatas legimus. Quam ob rem libros classicos tractantes facile in periculum adduci possunt, ne superstitionibus imbuantur, in dubitationes et errores incident, fidesque eorum in rebus divinis concutiatur. Neque sane minora sunt pericula, quae moribus impendent eorum, qui litteras classicas tractant; quanquam enim saepissime ab antiquis virtus celebratur ac vitia castigantur, tamen negari non potest, cultum deorum, qui apud eos viguit, rebus dishonestis ac sceleribus nefandis contaminatum fuisse, et complures inter antiquos scriptores inveniri, qui turpes atque obscoenas res tractent, nec vereantur narrare, templa deorum, praesertim Veneris et Bacchi foedis imaginibus et picturis exstructa, festa eorum rebus turpibus celebrata esse. Verum ut illa mittamus, quae luculentissime ostendunt, quo magis homines a Deo vero alienati fuerint, eo magis mores eorum depravatos et corruptos esse: nonne omnes scriptores antiqui ambitionem, immodicam gloriae et honoris cupiditatem, magniloquentiam, vindictae cupidinem, quin immo mortem voluntariam probant, quae omnia a Christo Domino turpia, dishonesta, detestanda arguuntur? Et quanquam saepius Graeci et Romani rebus secundis atque afflictis humili animo deos venerantur, ac praesertim miseriis pressi auxilium eorum et misericordiam implorant: tamen haud raro etiam heroes antiqui sua ipsorum vi nec adiuti ope divina facta praeclara edidisse videntur; quapropter gloria ac praedicatione se efferre, virtutes suas iactare, superbe atque arroganter dicere et agere solent. Quae cum pravis animi humani cupiditatibus consentiant, nonne periculum est, ne iis, qui eiusmodi res legunt, superbia ac stolida sui fiducia crescat, et humilitas christiana, ut hac voce utar, aut minuatur, aut omnino tereat?

Inde facile perspici potest, librorum classicorum lectionem et fidei et moribus Christi fideliū magnae pernicie futuram esse, nisi omne genus cautionis in legendō adhibeatur. Attamen minime hac re adduci possumus, ut iis assentiamur, qui paganismum nostri temporis et omnia mala cum eo coniuncta ex libris antiquorum originem duxisse contendunt. Non enim est dubium, quin superstitiones et antiqui et nostri temporis ex eodem fonte exortae sint. Profecto si omnes antiquorum libri essent deperditū, si omnia artium litterarumque antiquarum monumenta interiissent, ita ut ne vestigium quidem earum ullum reliquum fuisse; tamen mea quidem sententia hodie novus quidam paganismus medios inter ipsos Christianos existere potuisse ac re vera exstitisset.

Quodsi quaeramus, qua ratione antiquissimis temporibus malum paganismi primitus in genus humanum invaserit, certe non intelligentiae mentis erroribus, sed potius animi morumque perversitate natum exortumque sensim creuisse reperimus. Omnibus enim hominibus concupiscentiam, quae „ex peccato est et ad peccatum inclinat“ (cf. Conc. Trid. sess. V. decret. de peccato orig. n. 5.), inhaerere revelatione divina confirmatum est; qua quidem concupiscentia animus humanus pravis libidinibus obnoxius ac sensim a Deo vero sciunctus homines in diversissima vitiorum genera et ad cultum deorum fictorum deduxit. Tantum igitur abest, ut ex vera a Deo revelata doctrina, quam Patriarchae liberis suis unicam tradiderunt, vanae gentilium superstitiones profluxerint, ut contra voluptas corporis mentis oculos praestrinxerit, et cupiditate ipsa omne animi lumen paene extinctum sit: id quod non solum liber Sapientiae cap. 13. confirmavit, et s. Paulus ad Rom. 1, 19—25 luculenter exposuit, sed etiam ipse Ciceron, etsi peccati originalis ignarus, praecolla illa Archytæ Tarentini oratione egregie testatus est. (Senect. cap. 12.) Quum autem etiam in renatis fonte baptismatis concupiscentia maneat, certe non est negandum, primam omnis paganismi causam non in rebus externis, nec in mentis erroribus, sed in ipsa animi humani perversa natura sitam esse. Quapropter s. Apostoli in epistolis saepissime in pravos paganorum mores invehuntur, falsas eorum opiniones leviter modo perstringunt; quo haud obscure declarant, istis superstitionibus minimam vim inesse, dummodo perversa agendi ratio atque pravitas animi extincta sit. — Gravissimis igitur argumentis innxi contendimus, etiam nostris temporibus simili modo ex libidinibus et depravatis moribus, non ex scriptis antiquorum, novos paganismi errores exortos esse magnamque societati humanae perniciem adlatam. Quanquam non est negandum, hanc perniciem perversa libros antiquos legendi ratione magnopere in dies creuisse.

Quae quum ita sint, litteras et graecas et latinas minime reiiciendas esse censemus, ne societati humanae egregia inde redundans utilitas eripiatur; ut vero periculum usus perversi tollatur, iusta ac provida eos legendi ratio instituenda est, quam quidem infra edocebimus.

§. 4.

Jam vero eo progressi sumus, ut nobis sit inquirendum, num libri auctorum classicorum in gymnasiis publicis legendi sint: qui est certe disputationis nostrae locus longe gravissimus. Quanquam enim ii homines, quorum animus perspicua cognitione veri atque honesti ac pietate singulari imbutus, et mores bene muniti sunt, procul dubio pericula ista effugient, quae ex legendis libris classicis exoriri possunt: tamen in

dubium vocari possit, num etiam adolescentibus id contingat, qui levi mobilique sunt animo, quorum mores facilime corrumpuntur. — Quum non sit negandum, id quod supra uberioris firmavimus, libros classicos ad animum excolendum sensuque pulcri, veri atque honesti imbuendum quam plurimum conferre: adolescentibus censemus istos libros non esse subducendos, nisi eorum lectione aut probibeantur, quominus doctrinam religionis christiana perspicue cognoscant, aut a praeceptis eius diligentissime observandis arceantur.

Quodsi primum religionis christiana cognitionem spectas, tantum abest, ut haec retardetur et impediatur, ut etiam facilior reddatur et incrementa capiat lectione librorum antiquorum iusta ratione instituta. Dummodo adolescentes religiose sint educati, animisque eorum pietas in Deum Optimum Maximum a prima iuventute infusa sit; dummodo praeceptores gymnasii animo ingenuo ac vere christiano imbuti sint, id quod omnium primum desideratur ad iuventutem bene informandam: certe non est verendum, ne vanae et superstitiones de diis fictitiis opiniones a discipulis gymnasiorum non contemnatur ac derideantur, praesertim quum ipsi auctores antiqui interdum haud obscure declarent, se istis commentis fidem non habere. Mihi contra persuasum est, lectionem librorum classicorum non solum, ut supra dixi, iis, qui omne studium in doctrina sacra collocaturi sunt, sed etiam reliquis adolescentibus bonarum artium studiosis ad cognoscendam religionis christiana veritatem plurimum conferre utilitatis. Iuvenes litterarum studiosos, postquam aetas et ingenium ipsis adolevit, idoneos esse oportet, ut causarum, quibus nititur doctrinae christiana veritas, rationem sibi reddant eamque contra omnes nostri aevi errores defendant. Quam ob rem gymnasiorum discipuli ita rebus divinis instituendi sunt, ut persuasum habeant, fidem catholicam firmissimis fundamentis munitam esse, omniaque argumenta contraria facili negotio posse convelli. Quisquis vero sacram Christianorum doctrinam veram esse cognoscere ac rationibus firmare studet, ad perspiciem et Judaeorum et Gentilium religionem ducatur necesse est. Nam et Judaismus et Gentilitas Christi Ecclesiam antecesserunt, et postquam haec constituta est, usque ad nostra tempora permanerunt, hoc solo discrimine, quod Judaeorum in vicinia nostra viventium religionem nobismetipsis cognoscere licet, de opinionibus vero Gentilium in disiunctissimis terris habitantium ab aliis relata legitimus. Quos quum a fide christiana alienos viderint, non solum sacrarum litterarum studiosi, sed etiam omnes litterati, nisi forte res sacras rebus profanis postponunt, facere non possunt, quin disquirant: Quid illi de rebus divinis censeant quibusque rationibus innixi? quid contra Christiani et quibus de causis? nec iniquo animo eiusmodi quaestiones instituent, haud ignorantes, inde dependere veram animi tranquillitatem.

Ista ratio praecipue ex tristissimo illo tempore valuit, quo tam multi Germaniae incolae a communione Ecclesiae catholicae seiuncti sunt; complures enim eorum, qui in sacra J. Chr. doctrina novarum rerum studiosi erant, acerbe Ecclesiae exprobrabant, quod quasdam Gentilium doctrinas in religionem christianam receperisset. Quae probra acerbissima ut reiulantur, iuvenes catholici perspiciant necesse est, non omnia, quae apud Gentiles reperiantur, hac ipsa de causa flagitiosa, reprobanda et abominanda esse, verum etiam complures eorum doctrinas ex divina Patriarcharum religione profectas, atque a gentibus, quum per totum terrarum orbem diffunderentur, in domicilia nova translatas, postero autem tempore, quum homines libidinibus obstricti a Deo vero recederent, maxime deformatas ac depravatas esse. Cuius rei cognitio, quam libri classici nobis suppeditant, magnopere aucta et confirmata est, ex quo orbis terrarum et orientalium et occidentalium accuratius cognitus est, atque opiniones gentium, quae et Indiam Chinamque et Americam incolunt, clarius nobis licuit perspicere. Ut uno exemplo utar, notiones de sacrificiis et sacerdotio, Iudeis, Gentilibus et Christianis communes, non est dubium, quin ex revelatione divina Patriarchis facta originem duxerint, a Gentilibus vero annorum decursu depravatae sint. Ipsam igitur Gentilitatem grave veritati revelationis divinae testimonium dare, ex iis, quae dixi, satis apparet. — Neque possum non admonere, iis, qui studiis classicis dediti sunt, saepius occasionem oblatum iri accuratius cognoscendi, Gentiles divina gratia non omnino destitutos fuisse. Quum enim inter infinitos errores aliqua etiam veri vestigia reperiantur, et inter innumeros idolorum cultores etiam complures viri extiterint, qui desiderio veritatis incensi sumnum studium in cognoscendo numine divino posuerint: fieri non potest, quin perspiciantur illa, quae s. Paulus affirmat, „Deum quidem in praeteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas, sed non sine testimonio semetipsum reliquisse“ (Act. 14, 15—16); et alio loco „Deum definivisse terminos habitationis gentium, ut quaerant Deum, si forte attracent eum aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum (Act. 17, 26—28.).

Restat, ut ad alterum quaestionis locum progrediamur, num periculum, ne mores adolescentium corrumpantur, tanti sit, ut libros gentilium ipsis omnino subduci oporteat. Ad quam rem disquirendam ut facillimam viam ineamus, tria librorum istorum genera nobis videntur distinguenda. Sunt enim inter scriptores antiquos nonnulli, qui ex industria res obscoenas sive lascivas tractant; qui tamen quum nusquam in gymnasiis catholicis legantur, hoc loco minime sunt respiciendi. Reliqui antiquorum libri aut prorsus puri ac sinceri sunt, aut nonnullos locos continent, qui animas candidas et incorruptas offendere, iisque periculum afferre possint. Quorum priores non est causa cur iuventuti subducantur; quod vero posteriores attinet, satis notum est, haud

paucas editiones extare, quae tersae et sordibus istis maxima cura liberatae sunt. Quum adolescentes his editionibus, quas castigatas vocant, utuntur, negandum quidem non est, eos allici, ut integras editiones legant; sed iuvenes religiosi facile istis illecebribus resistent, lascivi vero ac dissoluti multo facilius alia ratione cupiditates suas explorere poterunt. Licet autem multi integris editionibus utantur, periculo, quod illis impendeat, cave nimium tribuas. Etenim si iuvenes litterarum studiosi sententias sive voces minus decoras deprehendant, istis in pericula multo minora deducuntur, quam quae ipsis imminent, quum lascivos nostri temporis scriptores legere audent. Quum quis enim in libros antiquorum incumbit, mentis potissimum vires intendat necesse est; cupiens perspicere, quid auctores dixerint, in difficultates delabitur, quas nisi attentius cogitando removere non potest, quibusque impeditur, ne phantasiae vi abripiatur. Mihi quidem saepius occasio oblata est ea probandi, quaे clarissimi viri, qui iuventuti erudiendae operam dederunt, experti sunt, eos adolescentes, qui summa diligentia se studiis classicis dederint, plerumque iuvenes integros, candidos et incorruptis moribus fuisse, eos vero, qui illa studia socordius coluerint aut neglexerint, saepissime ad lectionem turpium librorum delatos brevi fidei et morum naufragium fecisse. Nec dubitaverim contendere, simulac studium litterarum antiquarum conqueverit, etiam ipsa gymnasia brevi esse dilapsura.

Ceterum ut finem huius rei faciam, quodsi nihilominus metu perculsus, ne iuvenes abominandis Gentilium opinionibus inficiantur, libros classicos ipsis subduxeris, quis est fructus, qui hac cautione adhibita illis redundabit in posterum? nonne totus terrarum orbis ingenti vi librorum pestiferorum paene obrutus tenetur, ad quos adolescentibus facillimus est aditus? Nostri aevi scriptores novas doctrinas novaque morum praecepta proposuerunt, quae a doctrina christiana non minus abhorrent, quam superstitiones antiquitatis, atque opera eorum ingenio adeo malo pravoque perfusa sunt, ut cum scriptis antiquorum maxime obscoenis de principatu contendant; quod quum auctores isti summa arte et calliditate dissimulare studeant, multo maius periculum quam antiqui scriptores iuventuti afferre videntur. Quid igitur iuvabit, adolescentes prohibere, ne opiniones Gentilium antiquorum perspiciant, quum multo magis exitiosas ex litteris recentioris aetatis cognoverint? Sin autem libros antiquorum studiosae iuventuti ita explicueris, ut Gentilium commenta ipsi abominanda appareant, et contra religionis christianaे veritatem fructusque ex ea redundantes uberrimos exposueris, etiam id efficies, ut libri recentiorum minus perniciosam vim in animos habeant.

§. 5.

Quae huicunque disputavimus, et sapienti ratione comprobantur, quam in agendo tenuit ac tenet s. Ecclesia catholica, neque repugnant praceptis, quae sacrosancta Synodus Tridentina edidit.

Primis temporibus christianis, quibus Ecclesia Jesu Christi et admodum exigua et acerbissime vexata continuisque persecutionibus obnoxia erat, eius episcopi suis facultatibus ludum litterarum, quo iuventus catholica doceretur atque erudiretur, instituere non poterant. Quapropter adolescentes christiani institutione gentilium praeceptorum utebantur, et primi doctrinae sacrae propugnatores ex his scholis prodierunt, in quibus litterarum studiis imbuti erant, simul autem artes dolosque cognoverant, quibus gentiles eruditи religionem christianam impugnare consueverunt; quin immo hac ratione saepius factum est, ut complures gentiles, in eadem schola instituti, adolescentibus christianis familiariter uterentur, et ad altiora studia proiecti in perscrutanda veritate ad legendos libros divinos accederent Christique doctrinam amplecterentur. Quum vero istorum ludorum magistri, a vera Dei cognitione alieni et acerrimo in Christianos odio incensi, vel maledicta in Christi doctrinam conferrent, vel acerbis facetiis eam irridenter, parentes Christiani brevi eo pervenerunt, ut liberos illis erudiendos tradere magnopere dubitarent, ne cum daemonibus societatem inirent, neve eorum fides sincera moresque ingenui concuterentur. Quo maiore igitur taedio istorum magistrorum cuperentur, fieri non potuit, quin eo maiore odio ab ipsis libris classicis abhorrerent, eoque maiore in dies incenderentur desiderio institutionis vere christianaе. Ut huic voto fidelium satisficeret, in primis Alexandriae iam secundo p. Chr. seculo ludus litterarum a magistris christianis apertus est. Quum enim iam primo Ecclesiae aevо non solum permuli huius urbis cives fidem christianam profiterentur, sed etiam quam plurimi adolescentes christiani litterarum studiosi ex diversissimis regionibus clarissimam hanc bonarum artium sedem, celeberrima illa bibliotheca auctam peterent, ut in Museo Alexandrino, ab imperatoribus Romanis magnifice sustentato, scholis doctissimorum virorum interessent, qui omnibus fere litteris profanis excelluerunt: christiani episcopis maxime erat in optatis, ut in hac ipsa urbe, ubi externae disciplinae egregie fluerunt, etiam schola christiana constitueretur, in qua adolescentes christiani non solum artibus ingenuis, sed in primis sacra Ecclesiae suae doctrina imbuerentur. Qua schola instituta futurum esse sperabant, ut iuventus catholica melius arceri posset ab idolorum cultu falsisque gentilium doctrinis, et idonea evaderet ad defendendam suam religionem; ut facilius omnibus appareret, s. doctrinam Christianorum nequaquam inferiorem esse disciplinis externis, atque ut quam plurimi gentiles occasione oblata verae religionis cognoscendae ac probandae ad Christi Ecclesiam converterentur.

Ita factum est, ut fere sub finem secundi p. Chr. seculi illustris illa schola catechetica Alexandriae auspiciis huius urbis episcopi constitueretur; quae quam egregie desideriis Christianorum satisfecerit, inde perspicuum est, quod summam dignitatem sibi conciliavit et gloriam Ecclesiae magnopere promovit, quodque magistri gentilium tanto eam odio persecuti sunt, et adeo eius auctoritatem timuerunt, ut saepius domum, in qua ille ludus exercebatur, militibus cingi discipulosque vexari curarent. (Conf. Euseb, hist. eccl. VI. 3.) Satis notum est, illustrissimos scriptores ecclesiasticos, Pantaenum, Clementem, Origenem, alios illius scholae antistites fuisse, ex eaque quam plurimos discipulos prodiisse, qui postea episcopi, confessores, martyres exstiterunt, atque Ecclesiam et doctrina et virtutibus illustrarunt.*). Neque dubitandum mihi videtur, quin in schola illa celeberrima opera scriptorum classicorum legenda ac tractanda proposita sint; scriptis enim Clementis Alexandrini et Origenis dilucide confirmatur, non solum ipsos litteris profanis magnopere excelluisse, sed etiam in erudienda iuventute multum tribuisse studio scriptorum classicorum, quod quidem ad confirmandam doctrinam christianam plurimum utilitatis afferre censuerunt. Ut unum locum afferam, Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1, p. 286 his verbis utitur: „Καθάπερ καὶ ἄνευ γραμμάτων πιστὸν εἶναι δηνατόν φαμεν, οὐτως συνεῖναι τὰ ἐν τῇ πίστει λεγόμενα οὐχ οἴοντε μὴ μαθόντα ὁμολογοῦμεν. — Καὶ ὅπου ἀμα καὶ θάττον σὺν τῇ προπαιδείᾳ θηράσαι ἀν τινα τὴν ἀρετὴν διμολογοῦμεν. —

§. 6.

Venio nunc ad egregios illos viros, qui IV. et V. p. Chr. seculo sanctitate vitae et eximia doctrina Ecclesiae catholicae summo decori fuerunt, qui in numero s. Patrum optimo iure habendi sunt, quin etiam ut „doctores Ecclesiae“ vocarentur meruerunt, ad Basilium Magnum, Joannem Chrysostomum, Gregorium Nazianzenum in graeca, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum in latina Ecclesiae parte, quos certe iustissimos voluntatis Ecclesiae interpretes vocare licet, quorum auctoritatem nemo est qui despicere ausit. Quanquam id temporis templa deorum diruta, et idolorum cultus paene ubique terrarum extinctus erat, neque amplius hac mente, ut opiniones Gentilium cognosci ac dilui possent, scripta eorum legi necesse erat; tamen venerandi illi Patres non solum artibus ingenuis multum tribuebant, earumque studiis eruditos magnopere celebrabant, sed etiam ipsi a prima iuventute magnam di-

*). Qui accuratius de illa schola, quae Alexandriae floruit catechetica, praesertim de primordiis, de singulis doctoribus, de finibus et constitutione eius instrui voluit, adeant commentationem de illa schola historiam et theologicam, quam scripsit vir illustrissimus F. Guerikius Halis Saxonum 1824.

ligrantiam in legendis libris gentilium ponebant, quin immo adolescentibus etiam atque etiam commendabant, ut ista studia colerent.

S. Basilius a teneris annis praesertim in Ecclesiae catholicae doctrina a pia matre diligenter eruditus ubi primum adolevit, ad studium litterarum quum in alias provincias, est missus, tum maxime Constantinopolim, quae civitas et philosophiae et historiae eximia laude florebat, ubi simul cum s. Joanne, cui postea propter summam eloquentiae gloriam nomen Chrysostomo fuit, Libanio, sophista praeclarus, magistro usus est. Inde Athenas clarissimam litterarum sedem petiit, ibique intimam cum s. Gregorio Nazianzeno amicitiam iniit, ut „una utrique anima esse videretur duo corpora ferens“; qui quidem iuvenes ingenio nobilissimi Himerio et Prohaeresio, sophistis illustrissimis, operam dederunt, nec solum probitate et integritate morum, sed etiam artibus ingenuis, et grammatica et rhetorica et dialectica omnibus aequalibus antecelluerunt. Postquam Basilius ad archiepiscopatum Caesareae Cappadociae electus est, Ecclesiam magnopere auxit et cura verae doctrinae habita et scriptis suis doctissimis, in quibus saepius affirmat studium litterarum profanarum utilissimum ac paene necessarium esse ad perspiciem s. doctrinam; quin etiam ad senectutem provectus scripsit ad adolescentes homiliam sive potius tractatum de legendis libris gentilium. Quo libro postquam vitam aeternam omnibus rebus posthabitis maxima diligentia a Christianis expetendam, et quidquid ad hanc deducere posset, omni cura quaerendum esse exposuit, libros gentilium legendos commendat his usus verbis:*)

„Ad hanc (vit. aeternam) nos deducunt libri divini per arcana nos erudentes. Dum vero per actatem non licet altum eorum sensum perspicere, in aliis scriptis non omnino diversis, quasi in umbris et speculis, mentis oculo nos praeparemus, exemplum eorum secuti, qui in militari disciplina exercentur, qui quum manuum motus et saltationum usu imbuti sunt, in certaminibus ipsis ex ista disciplina fructum capiunt. Atqui nobis certamen omnium maximum propositum esse credendum est, ad quod ut praeparemur, omnia nobis agenda et omnes labores pro viribus sustinendi sunt, atque poetis et historicis et rhetoribus et omnibus hominibus utendum est, unde ad curam animi gerendam utilitas aliqua accessura sit. Quemadmodum igitur infectores, quidquid tingendum est, prius curis quibusdam praeparant ac tum demum colorem inducunt sive purpureum sive quempiam alium: ita et nos, si indelebilem in animo nostro honesti splendorem perpetuo insidere velimus, his externis ($\tauοις \xiω$) antea imbuendi ac tum demum sacris et arcanis doctrinis erudiendi sumus, veluti quum solem in aqua cernere assuevimus, tum demum lumini ipsi oculos obvertemus

*) Locos ampliores sanctorum Patrum graecorum in latinam linguam versos apponere mihi e te esse visum est.

„Cum quanam autem re doctrinam utramque (Christianorum et Gentilium) comparando veram imaginem assequi poteris? Sane veluti arboris propria est virtus, tempestivo fructu scatere, nec tamen aliquod ornamentum non afferunt ei folia circa ramos agitata, ita etiam animo nostro potissimum fructus veritas est, verumtamen haud ingratus externae sapientiae (*τὴν θύραθεν σογίαν*) amictus, quippe qui foliorum instar fructui umbraculum et aspectum haud ingratum praebat. Dicitur etiam Moyses ille clarissimus, cuius maximum est sapientiae nomen apud omnes homines, exercitato Aegyptiorum disciplinis animo, ad „Eius qui est“ cognitionem processisse. Simili modo posteris quoque temporibus sapiens Daniel Babylone sapientiam Chaldaeorum edoctus esse traditur, et ita demum ad s. doctrinas accessisse.“ —

Alterum eorum, quos dixi, s. Patrum Gregorium episcopum Nazianzenum, qui propter strenuam defensionem divinitatis Filii Dei et Spiritus sancti Theologus appellatus est, unum idemque de legendis libris Gentilium sensisse, non solum inde perspici licet, quod cum s. Basilio intima amicitia coniunctus a prima inventute eadem diligentia in artibus ingenuis versabatur, sed etiam multis argumentis probari potest, quae reperiuntur in eius scriptis, quorum haec afferre sufficiet. Exstant duae Orationes, quibus s. Gregorius acerrime invehitur in Julianum imperatorem, quod religione Christianae renuntiasset et ad idolorum cultum redisset; in primis autem, quod Christianos vetuisset auctores graecos et latinos legere, vitio ei vertit his usus verbis: „Quum multa et gravia sint, quae odium illi merito conflare debeant, nihil tamen est, in quo magis quam in hac re iniquum ac sceleratum se praebuisse videatur. Ac mecum velim indignetur, quisquis sermonibus doctrinaeque studio delectatur, et huic parti addictus est, quo in numero me quoque esse non inficio. Nam cetera quidem omnia volentibus reliqui, opes, generis nobilitatem, gloriam, potentiam, ceteraque, quae terrena huius iactationis sunt et vanae somniisque similis oblectationis. At sermones solos amplector, nec habeo, quod labores tum terra tum mari susceptos incusem, qui eos mihi compararunt. Atque utinam mihi amicisque meis sermonum robur adsit, quod primum post id, quod primum est, amplexatus sum atque etiamnum amplexor, hoc est, post divina et spes ab oculorum sensibus remotas.“ (Orat. IV. ed. Maurin. p. 131—132.) — Eadem oratione affirmat libros antiquos multum prodesse ad vera cognoscenda et falsa confutanda, dicens: „Qui hoc edixit (ne eos legamus), Attice quidem et eleganter loqui prohibuit, at ne vera loqueremur, haudquaque impedivit, simulque et imbecillitatem suam prodidit, nec confutationes effugit, immovero imprudens sese his magis subiecit atque implicit.“ (Orat. IV. p. 80. B.) — Accedit, quod oratione funebri, qua laudes defuncti Basilii celebraturus erat, quid de doctrina censendum esse iudicaverit, his verbis proposuit: „Illud autem inter omnes sanae mentis homines

constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere, non de hac nostra solum et nobiliore loquor, quae contemptu omni sermonis lepore atque ornatu saluti uni atque earum rerum, quae ratione atque animo intelliguntur, pulcritudini arctissime haeret, sed etiam de externa (*καὶ τὴν ἔξωθεν*), quam plerique Christiani pravo quodam iudicio ut insidiosam et perniciosa ac procul a Deo avertentem aspernantur. Quemadmodum enim coelum, terram ac quaeque eorum complexu coercentur, non ideo contempnere debemus, quia nonnulli scelerate acceperunt, pro Deo ea, quae Dei sunt, venerantes, quin potius quidquid tum ad vitam tum ad animi oblectationem usui est, decerpentes, quidquid periculosum est, fugimus, non res creatas adversus Creatorem, ut stulti faciunt, concitantes, sed „ex rebus conditis Conditorem agnoscentes“ (Sap. 13, 5), atque „omnem intellectum, ut Apostoli verbis utar, Christo captivam submittentes“ (2 Cor. 10, 5) . . . : eodem nos quoque modo ex litteris et disciplinis id sane, quod in inquirenda rerum natura et contemplatione versatur, suscipimus, quidquid autem ad daemones et errorem et exitii voraginem ducit, respuimus. Imo etiam eo ad Dei cultum adiuti sumus, nimirum ex deteriore, id quod praestantius est, cognoscentes, atque doctrinam nostram illorum imbecillitate fulcientes. Quam ob rem non idecirco eruditio contemnenda est, quod ita quibusdam videatur; quin potius stulti atque imperiti habendi sunt, qui hoc existimant, quique omnes sui similes esse cupiant, ut privata eorum insectia sub communi deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat et coarguat.“ (Orat XLIII. p. 777—778.)

S. Joannes Chrysostomus, qui ultra vigesimum aetatis annum in artibus ingennis versatus erat, quanti fecerit libros Graecorum, quantumque valuerint studia classica ad ingenium eius excolendum sensuque venusti imbuendum: quisquis praeclera eius opera legerit, facile perspiciet. Quanquam enim doctor ille egregius aetate progredivente libris divinis legendis atque meditandis summam operam navavit, et gloria externa posthabita nihil aliud egit, nisi ut orationibus scriptisque Christi fideles ad piam sanctamque vitam adduceret, et Dominum Jesum Christum eiusque Ecclesiam decoraret et amplificaret: tamen scripta eius orationis venustate et eleganti verborum delectu mirum quantum excellunt, et ut Ciceronis de Nostore verbis utar, melle dulcissimus eius fluebat oratio. Neque dubitandum est, quin s. Joannes de legendis libris Gentilium unum idemque senserit cum s. Basilio, quocum arctissima amicitia coniunctus erat; quippe quum scholas monasticas a s. Basilio constitutas, in quibus adolescentes litteris antiquis multam operam dederunt, saepius maximis laudibus extolleret, atque Christianis apprime commendaret; nec minus ipse de educandis pueris paeclare dissereret, quorum animos sensu pietatis imbuendos et variis disciplinis erudiendos doceret libro III aduersus oppugnatores vitae monast. n. 8—12.

§. 7.

Fuerunt sane inter scriptores ecclesiasticos, praesertim latinos, qui ab illis s. Patribus longe dissentientes classicos auctores abominarentur; hoc vero partim tempori et loco tribendum puto, partim ipsorum menti austerae, quod severitate quam maxima a periculo, ne erroribus ac vitiis paganorum imbuerentur, Christianos arcere studerent. Quorum tamen in numerum, id quod multis placuit, euidem neque s. Hieronymum, neque s. Ambrosium referendum censeo. Quanquam enim s. Hieronymus ipse mirum illud somnium nobis enarravit, quo a Domino acerbissime reprehensus, quod summa voluptate gentiles legeret, et Ciceronianus appellatus, illis libris classicis omnino renuntiasse sibi **visus* esset atque dixisse: „Domine, si unquam habuero codices seculares, si legero, te negavi“: tamen strenuus ille doctor Ecclesiae posteriore aetate se isto promisso per somnum dato teneri negavit, neque in legendis gentilium libris perseverare, et quum in monasterio Bethlehemitico versaretur, Virgilium, comedios, lyricos poetas, historicos pueris explicare erubuit. *) Idem quanquam se ipse reprehendit, quod aetate provectus nimia voluptate gentiles legisset, et alios sacerdotes acerbe castigat, quod neglectis rebus divinis in libris poetarum haererent, tamen neque quod ipse iuvenili aetate litteras coluisse conqueritur, et pueros artibus ingenuis erudiendos esse contendit his usus verbis: „At nunc etiam sacerdotes Dei omissis Evangelii et Prophetis videmus comoedias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, et id, quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis.“ (Epist. 142 ad Damas.)

S. Ambrosius vero, episcopus Mediolanensis, qui omne studium ad res divinas et sacrum munus suum contulit, cuiusque constantia in propugnanda fide ab omnibus celebrata est, summis viribus contendebat, ut falsas haereticorum doctrinas vanasque gentilium opiniones confutaret et opprimeret; verum tamen ipsa eius scripta praeclara testantur, eum litteris humanioribus egregie instructum fuisse; et tantum abfuit, ut libros classicos a Christianis legi vetaret, ut ipse in scriptis suis locos quosdam ex illis libris allegaret, velut in Expos. Evang. sec. Lucam lib. VII. n. 15: „Audivi etiam (ut ad redarguendos eos de contrariis sumamus exemplum) duorum prudentium facundiam nivi et apibus comparasse.“ Manifesto Homeri meminit, qui Il. I v. 249 de Nestore:

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκιῶν φέν αὐδή

*) Conf. vit. s. Hieronymi in libro illo praeclaro: Stolberg's Gesch. d. Relig. Jesu Christi XIII.
p. 19—20.

et II. III v. 221—223 de Ulysse cecinit:

ἀλλ ὅτε δή ὁ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἔι,
καὶ ἔπει πιράδεσσιν ἐοικότα χειμερίησιν,
οὐκ ἄν ἔπειτ' Ὁδυσῆν γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.

Atque adeo idem s. Ambrosius in libris tribus „de Officiis ministrorum“ Ciceronis libros de Officiis imitatus dispositionem totius operis et ordinem materiae ex Cicerone mutuatus est, ita ut illos s. Ambrosii libros non possis penitus perspicere, nisi legeris Ciceronis de Officiis libros. Quanquam doctor egregius nihil aliud egit, nisi ut ostenderet, quanto praestarent Christi praecepta Ethicae gentilium.

Jam vero ad s. Augustinum, episcopum Hippensem et doctrina et virtutibus maxime insignem progresso non alienum mihi videtur hoc loco ea proponere, quibus se profitetur maxime Ciceronis „Hortensio“ conversum esse ad Dominum Confess. libro III. c. 4. his verbis: „Inter hos ego, imbecilla tunc aetate, discebam libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanae, et usitato iam dicendi ordine perveneram in librum quandam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili, et surgere cooperam, ut ad te redirem . . . Non ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed quod loquebatur, persuaserat. Quomodo ardebam, Deus meus, quomodo ardebam evolare a terrenis ad te, et nesciebam, quid ageres mecum. Apud te est enim sapientia. Amor autem sapientiae nomen graecum habet φιλοσοφίαν, quo me accendebat illae litterae. Sunt qui seduant per philosophiam, magno et blando et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos, et prope omnes, qui ex illis et supra temporibus tales erant, notantur in eo libro et demonstrantur; et manifestatur ibi salutifera illa admonitio Spiritus tui per servum tuum bonum et pium: „Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et in anem seductionem secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, et non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.“ (Coloss. 2, 8—9) Et ego illo tempore, scis tu lumen cordis mei, quoniam nondum mihi apostolica nota erant; hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam quaecunque esset sapientiam ut diligarem et quaererem et assequerer et tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo et accendebar et ardebam, et hoc solo in me tanta flagrantia refrigerabat, quod nomen Christi non erat ibi.“

Sed dixerit fortasse quispiam, eundem s. Augustinum iuvenili aetate lectione librorum antiquorum ad vitam luxuriosam atque errores Manicheorum deductum esse; postea vero, quum gratia divina ad Dominum conversus esset, illos libros legendos dissuasisse. Id quidem negari nequit, egregium doctorem saepius monuisse, ne perverse iterentur Christiani litteris antiquis; sed haud ignorans, quid ad animos informandos conferrent utilitatis, in primis adolescentibus eos legendos proponi voluit; id quod maxime testantur libri eius „de doctrina christiana“, ex quibus nonnullos locos insignes attulisse iuvabit. — De doctr. christ. lib. II. c. 17-18: „Nos tamen non propter superstitionem profanorum debemus musicam fugere, si quid inde utile ad intelligendas s. Scripturas capere potuerimus, nec ad eorum theatraicas nugas converti, si aliquid de citharais et de organis, quod ad spiritualia capienda valeat, disputemus. Neque enim et litteras discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium, aut quia iustitiae virtutique templa dedicarunt, et quae corde gestanda sunt in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis iustitia virtusque fugienda est: immo vero quisquis bonus Christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicunque invenerit veritatem, quam confitens et agnoscens etiam in litteris sacris superstitionis figmenta repudiet, doleatque homines atque caveat, qui „cognoscentes Deum non ut Deum glorificaverunt . . .“ (conf. Rom. 1, 21—23).

Ibidem c. 25.: „Sed haec tota pars humanorum institutorum, quae ad usum vitae necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda Christiano, immo etiam quantum satis est, intuenda memoriterque retinenda.“

Ibid. c. 26.: „Adumbrata enim quaedam et naturalibus uteunque similia hominum instituta sunt, quorum ea, quae ad societatem, ut dictum est, daemonum pertinent, penitus repudianda sunt et detestanda. Ea vero, quae homines cum hominibus habent, assumenda, in quantum non sunt luxuriosa neque superflua, et maxime litterarum figurae, sine quibus legere non possumus, linguarumque varietas, quantum satis est.“

Ibid. c. 28.: Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea, quae appellatur Historia, plurimum nos adiuvat ad s. libros intelligendos, etiamsi praeter Ecclesiam puerili eruditione discatur.“

Ibid. c. 31.: „Quum ergo sint verae connexiones non solum verarum sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quae praeter Ecclesiam sunt. Sententiarum autem veritas in s. libris ecclesiasticis investiganda est.“

Quin etiam s. Augustinus Julianum Apostamat in numero persecutorum Ecclesiae maxime ea de causa habendum censuit, quod Christianos libros gentilium legere vetisset, his usus verbis: „Quid respondent etiam de Juliano, quem non numerant in decem? An ipse non est Ecclesiae persecutor, qui Christianos liberales litteras docere ac discere vetuit?“ De civit. Dei XVIII. 52.

§. 8.

Haec sufficient dicta s. Patrum maxime sane digna, quae ab omnibus litterarum studiosis legantur atque accuratissime perpendantur. Quod vero posteram aetatem attinet, satis superque notum est, quantam curam Carolus Magnus gesserit, ut in scholis, quae ab ipso constitutae erant, et quibus clarissimus Alcuinus praeerat, artes ingenuae colerentur; quanto studio praeterea in scholis monasticis, ex regula s. Benedicti auspiciis Ecclesiae constitutis adolescentes libros gentilium legerint; quanta diligentia et industria monachi ipsi illos libros transscripsent atque in diversissimas linguis transtulerint. Licet postea XI. et XII. p. Chr. seculo iniquitate temporum labente disciplina etiam artes liberales et studia litterarum neglecta iacerent, ac cum scholis ipsis paene ad interitum vergerent: tamen XIII. et XIV. seculo litterae optimae laetiora ceperunt incrementa, atque Ecclesia ipsa quam plurimas scholas denuo condi, et pristinas, ubi interiissent, restitui iussit; quo iusu gravissimum testimonium perhibuit, et studia litterarum ipsi maximae curae esse, neque priorem eorum ruinam ipsi vitio esse vertendam.

Hoc loco duas res memoria dignas haud censemus silentio praetereundas, quibus quid tribendum sit auctoribus classicis accuratius etiam perspiciatur. Primum constat, complures eorum, quos humanistas dicunt, nimio scriptorum classicorum studio et amore incensos, quidquid illi dixerunt, celebrasse maximisque laudibus extulisse, gravitate ac modestia vere christiana exutos superbia, effrenata licentia, magnificentia verborum excelluisse, et controversias de religione amplexos brevi pietate ac fide catholica se abdicasse. Quorum quidem studium nec probandum nobis videtur, et longe alienum fuit ab ingenio nobilium illorum humanistarum, qui quamvis multam optimis litteris dederint operam, tamen modestia ac pietate excelluerunt, et fidei catholicae gloriam maxime illustrarunt, in quibus summo iure nominandus est Rudolphus Langius vir illustrissimus, qui Monasterii floruit, et scholae huius civitatis laudem magnopere amplificavit. — Altera res non minoris momenti haec est. Iam inde a Caroli Magni temporibus in scholis christianis praeter scriptores classicos nonnulla s. Patrum scripta adolescentibus legenda proponebantur; id quod Ecclesia catholica non improbavit, nunquam tamen praecepit, ut auctores gentiles reiicerentur et in eorum locum scripta s. Patrum substituerentur. Quam Ecclesiae agendi rationem summopere laudandam censemus, quod per pauca admodum scripta s. Patrum invenies, quae omni ex parte ad erudiendam iuuentutem accommodata sint. Quum enim scriptores ecclesiastici id maxime egerint, ut argutias et captiones haereticorum refellerent, atque libros diuinos doctrinamque Ecclesiae summa subtilitate summoque acumine defenderent et ex-

plicarent: eorum scripta multo minorem suavitatis habent commendationem, quam auctores classici, ex quibus propter novitatem et varietatem sententiarum mirificam capiunt voluptatem adolescentes, qui tamen quum semper in rebus divinis tractandis et scrutandis versari cogantur, facile satietae capientur. Accedit, quod scriptores ecclesiastici quamvis praeclari, venustate tamen et sinceritate orationis longe superantur ab auctoribus classicis, quorum dicendi genus summopere comitum ornatumque et omnibus numeris absolutum est, ita ut periculum sit, ne adolescentium reverentia erga s. Patres minuatur, quum ea, quae illi dixerunt, omni certe laude digna appareant, oratio autem eorum saepius sit reprehendenda. Quanquam autem his de causis nequaquam adduci possum, ut iis assentiar, qui scripta s. Patrum in locum auctorum classicorum substitui volunt: tamen magno usui adolescentibus futurum esse arbitror, si praeter libros gentilium etiam quaedam delecta s. Patrum scripta ipsis legenda proponantur.

§. 9.

Iam quum ad ea, quae sacrosancta Synodus Tridentina de legendis ethnicorum libris praeceperit, proponenda atque illustranda pervenerimus, omnium primum id, quod supra diximus, tenendum est, Ecclesiam catholicam, quum fidelibus usum librorum, sive doctrinae sacrae sive moribus perniciosorum interdicat, ex iure muneric ipsa Christo Domino traditi id facere, ipsiusque praecepta a fidelibus strenue observanda esse. Neque dubitandum est, quin Ecclesiae potissimum conveniat, viam tutissimam monstrare, qua iuventus catholica ad Christum deducatur, et a periculis moribus ac fidei imminentibus defendatur; quippe cui munus gravissimum delatum sit, parvulos erudiendi atque ad Christum trahendi. Quam ob rem s. Concilia oecumenica et summi Pontifices nullo tempore curam providam gerere intermisserunt, ut pueri et adolescentes bene instituerentur, atque ut omnes fideles a pravis ac funestis librnis arcerentur. In primis sacrosancta Synodus Tridentina, de salute fidelium maxime sollicita, quum animadvertisset, eo ipso tempore suspectorum et perniciosorum librorum numerum nimis excrevisse, delectis quibusdam Patribus negotium commisit, „de librnis suspectis et perniciose, quid facto opus esset, considerandi atque ad ipsam s. Synodum referendi“ (Sess. XVIII.); postea vero quum audisset huic operi ab eis extremam manum impositam esse, praecepit, „ut quidquid ab illis praestitum esset, summo Pontifici exhibetur, ut eius iudicio et auctoritate terminaretur et evulgaretur.“ (Sess. XXV. de reform.) Unde apparet, decem illas de librnis prohibitis regulas per Patres a Synodo Tridentina delectos concinnatas atque a Pio PP. IV. constitutione, quae incipit verbo „Dominici“, comprobatas Ecclesiae sententiam ac voluntatem certo explanare, atque ab omnibus fidelibus pie colendas esse. Mea quidem sententia neque iis assentiendum

est, qui dicant, illas regulas negligi posse, quippe quum non a sancta Synodo ipsa, sed a quibusdam modo Patribus constituta sint, neque Christianum decet huc illuc tergiversari, ut Ecclesiae voluntati se subducat, suamque opinionem sequatur; quin etiam nemo fidei catholicae addictus libris prohibitis uti praesumet, nisi ab Ecclesia eos legendi copia ipsi facta sit. — Quam ob rem videamus, quid regula septima Indicis qui vocatur de libris classicis constitutum sit. Verba leguntur haec: „Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant, narrant aut docent, quum non solum fidei sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrupti solent, ratio habenda sit, omnino probibentur, et qui eos habuerint, severe ab episcopis puniantur. Antiqui vero ab ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur, nulla tamen ratione pueris paelegendi sunt.“

Quid igitur? Iisne assentiamur, qui contendunt, hac regula praescriptum esse, omnes libros antiquos ab ethnicis conscriptos iuventuti catholicae vitandos, nec ullum eorum pueris offerendum aut explicandum esse? Minime vero; quum enim ad nexum sententiarum diligenter attenderis, facile erit ad perspiciendum, Patres s. Concilii utraque illius regulae sententia de libris lascivis sive obscoenis legem ferre voluisse, et postquam priore Christi fideles istos libros legere vetuerint, posteriore eiusmodi libros, ab ethnicis conscriptos, propter sermonis elegantiam et proprietatem ipsis permisisse exceptis tamen pueris et adolescentibus; non est autem, cur iudicemus, illos hac regula omnes libros classicos studiosae iuventuti subducere in animo habuisse.

Hunc esse genuinum illius regulae sensum, affatim inde perspici potest, quod ut supra monuimus post Concilii Tridentini tempus per tria secula continua in scholis catholicis antiqui scriptores legebantur haud obstantibus Ecclesiae episcopis. Idem eo confirmatur, quod in primis patres Societatis Jesu, quibus summo iure maxima propter studium defendendae et illustrandae Ecclesiae gratia habenda est, in suis ipsorum scholis, ab episcopis ac summis Pontificibus saepius maxime laudatis, studiosae iuventuti libros ethnicorum legendos atque imitandos obtulerunt: id quod eorum „Ratio studiorum“ manifesto testatur hisce verbis: „Graeca praelectio sive oratorum sive historiorum sive poetarum non nisi antiquorum sit et classicorum, Demosthenis, Platonis, Thucydidis, Homeri, Hesiodi, Pindari et aliorum huiusmodi, modo sint expurgati“ (cf. regul. XIII. professoris Rhetoricae); et alio loco: „Ad cognitionem linguae, quae in proprietate maxime et copia consistit, in quotidianis paelectionibus explicitur ex oratoribus unus Cicero iis fere libris, qui philosophiam de moribus continent, ex historicis Caesar, Sallustius, Livius, Curtius et ii, qui sunt similes, ex poetis praincipue Virgilius exceptis Eclogis et quarto Aeneidos, paetere Odae Horatii selectae, item Elegiae,

Epigrammata et alia poemata illustrium poetarum antiquorum, modo sint ab omni obscoenitate expurgati.“ (cf. reg. I. profess. Humanitatis.) Quin etiam in seminariis puerorum, quae ex mandato Concilii Tridentini (Sess. XXIII. c. 18. de reform.) statim Romae et aliis locis constituta sunt, studia antiquitatis magnopere culta esse constat.

Huc accedit alia res vel maximi momenti. Facili enim negotio firmari potest, unum ex Patribus s. Concilii Tridentini illi regulae VII. Indicis explicationi, quam supra proposui, omnino consentire, egregium dico Carolum Borromeum, Cardinalem s. Ecclesiae Romanae et Archiepiscopum Mediolanensem, cuius auctoritatem certe nemo reiiciere ausit, tum quod illustris ille „doctor Ecclesiae“ et sanctitate et doctrina maxime insignis fuerit, tum quod ipse Congregationi interpretum s. Concilii Tridentini a Pio IV. P. P. adscriptus sit, „qui faciant observare decreta eiusdem oecumenici et generalis Concilii Tridentini.“ Hoc s. doctore praeside compluria Concilia provincialia Mediolani habita sunt, quorum tertio hanc sententiam prolatam legimus: „Quorum librorum lectione explicatione puerorum aut adolescentium animi depravantur et mores facile corrumpuntur, quo in genere ii sunt, qui res obscoenas et turpes continent, eos ut indice Tridentino sancitum est, a ludimagistris praelegi explicative episcopus non patiatur.“ (Const. IV.)

§. 10.

Postquam igitur perspeximus, libros gentilium minime esse reiiciendos, iam videamus oportet quam legendi rationem secuti adolescentes fructum quam maximum inde possint percipere, quod quidem maximam partem ex iis, quae dixi, facile apparabit. Quum gymnasiorum alumni a teneris annis ita eruditi sint, ut Ecclesiam pio favore prosequantur et verae virtutis christiana studio teneantur, non dubitaverim, quin hoc primum omnium ponam, ut ad percipiendam colendamque virtutem litteris adiuventur oporteat; id quod ipse Cicero testatur (Orat. p. Arch. poet. c. 7. n. 16). Qua in re autem bene observandum est, quantum inter se differant ethnici et christiani in definienda et adumbranda virtute, et quam diversae inter se viae sint, quibus utriusque virtutem assequi et ad eam colendam alios excitare studeant. Quum enim antiqui scriptores neque unum Deum verum agnoscerent, neque persuasum haberent, animos esse immortales, ac praemia virtutis esse aeterna, fieri non potuit, quin saepius a vera virtutis via aberrarent, et plurimis erroribus essent obnoxii. Quum contra christiana religio nos doceat, omnia ad Deum et ad vitam aeternam esse referenda, virtus christiana multo illa gentilium perfectior, et via virtutis, quam christiana religio proponit, multo tutior est ea, quam gentiles ingressi sunt.

Quapropter tantum abest, ut omnia, quae auctores antiqui scripsérunt, laudanda et amplexanda sint, ut contra non solum a pravis ac perversis eorum sermonibus abhorreamus, sed etiam ea reliquias oporteat, quae nos a vera ac sincera christiana virtutis via ducant. At enim negari nequit, in scriptis antiquorum permulta inveniri, quae ad virtutem colendam multum conferant. Ubiecumque igitur classici auctores virtutem praedicant, sive facta hominum paeclaras celebrant, vitia castigant, et nos admonent atque hortantur, ut virtutem sectemur, prava ac perversa facinora caveamus: non possumus eorum dicta non probare, quin etiam Deo maximas gratias agere debemus, quod etiam in paganis homines generosos excitaverit, qui tanto virtutis studio incensi fuerint, ut ipsi christiani eorum exemplum imitandum sibi proponere possint.

Praeterea legenti libros classicos maxime opportuna occasio veritatis Christi doctrinarum cognoscendae, quam saepissime ipsi oblatam esse supra diximus, minime omittenda est. Quisquis enim opinione gentilium cum doctrina christiana comparaverit, dubium non est, quin perspiciat, quantum haec praestet religioni gentilium, sive motiva credibilitatis, sive obiecta fidei spectare voluerit; quam levia sint argumenta quamque facile infirmanda, quibus illorum opiniones nituntur, quam firma contra sint fundamenta doctrinae christiana. Neque minus facile erit ad perspiciendum, quanto maiorem vim voluntatis commovendae vitaeque moderandae Christianorum ethicae quam gentilium tribuamus oporteat; quam tristis fuerit vita antiquorum, qui spectantes futuram animorum sortem inter spem metumque maxime essent suspensi, quanta tranquillitate contra Christiani gaudeant, qui certum exploratumque habeant animos esse immortales, et post hanc vitam bene peractam ad aeternam felicitatem esse peruenturos, ad quam assequendam maxime egregiis virtutum adminiculis adiuventur. Quoties autem similitudines quasdam inter paganismum et s. doctrinam Christianorum inveneris, toties laeto animo eas excipies, quum inde luce clarius appareat, fidem revelationis divinae quam maxime esse confirmatam; id quod complures viri illustrissimi ac doctissimi uberior exposerunt.*)

Quam proposui rationem legendi libros gentilium, hanc fere omnem iam s. Basilius Magnus in illo libro, cuius supra mentionem feci, uberior explanavit; quem librum vobis, carissimi adolescentes, integrum proponere in animo habui, quod ne facerem exiguitate spatii huiusmodi commentationibus constituti prohibitus sum. Nonnullos sal-

*) Conf. Sepp, das Heidenthum und dessen Bedeutung für das Christenthum. Regensburg 1853; historisch-politische Blätter, Bd. 33. Heft 5. und 10: Katholizismus und Heidenthum. München 1854.

tem ex illo libro locos in latinam linguam translatos vobis afferam, quos ut diligenter legatis quam enixissime vos rogo atque obtestor. Postquam doctor ille egregius praestantiam librorum antiquorum exposuit, hisce usus est verbis: „Primum quidem quum poetae bonorum hominum facta vel dicta vobis narrant, eos diligere et imitari, atque ut tales sitis, quanto maximo studio eniti vos oportet; ubi vero ad improbos deveniunt, obturatis auribus cavere ne imitemini, haud secus ac Ulysem illi dicunt Sirenum cantus fugisse“ „Non igitur laudabimus poetas, quum conviciantur ac cavillantur, non quum amasios aut ebrios imitantur, non quum mensa affluent et cantibus dissolutis felicitatem metiuntur, omnium minime ad eos animum advertamus, qui de diis disserunt, praesertim quum de iis tanquam multis iisque ne concordibus quidem fabulantur.“ . . . „Eadem fere de historicis mihi dicenda sunt, praesertim quum animi audientium oblectandi causa fabulas fingunt. Etiam rhetorum artem mentiendi non imitabimus“ Potius vero illa probabimus, in quibus virtutem laudant sive improbitatem castigant“ . . . „Quin omni ex parte apum exemplum sequentes illis libris utamini oportet; istae enim neque omnibus perinde floribus insidunt, neque ad quos advolaverint, ex iis omnia auferre conantur, sed quantum ipsis ad opus suum idoneum fuerit, carpentes reliqua missa faciunt. Nos quoque si sapuerimus, quantum idoneum nobis et veritati conveniens fuerit, assecuti reliqua omittamus“

Deinde s. doctor postquam dixit, quantae utilitatis futurum esset, teneris adolescentium animis familiaritatem quandam virtutis insitam esse, quippe quae fixa et immutabilis mansura esset: tum Hesiodum docet nos enixe admonuisse, ut virtutem collamus, neve laboribus debilitati prius deficiamus, quam ad finem pervenerimus, tum omnem Homeri poesin laudem virtutis esse contendit, quae maxime hac re ab ipso celebrata sit, quod eam simul cum naufrago Ulysse, duce Cephallenum, evasisse, et hunc in arido consistentem nudum sed virtute ornatum magis venerabilem fuisse dixerit omnibus Phaeacibus fortunatis; tum vero omnes scriptores, quorum aliqua celebritas esset propter sapientiam, sive minus sive amplius, pro viribus quemque, in scriptis suis laudes virtutis celebrasse affirmat. Praeterea ut nos edoceat, qua ratione doctrinae Gentilium et Christianorum inter se comparandae, et quae ex scriptoribus antiquis accipienda, quae vero fugienda sint, complura exempla antiquorum praeclara apposuit, quibus Christi doctrinas conspicere possimus; in his egregium Periclis facinus, qui hominem sibi maledicentem patienter tulit eiusque maledicta benefactis pensavit; id quod convenit praecepto, quo persequentes sustinere et iram eorum aequo animo ferre iubemur; et Socratis mansuetudinem, qui faciem suam saevissime obtundenti non repugnavit, ac si cognovisset Christi doctrinam, qui discipulos admonuit, ut caedenti alte-

ram maxillam praebarent. Et alia huiusmodi proponit, unde concludit, Gentiles non omnino expertes fuisse divinae revelationis. Attamen non omnia deinceps nobis accipienda esse docet; Christianos enim multo magis Gentilibus officio obstrictos esse, ut corporis voluptates fugiant et animum immortalem omnibus rebus humanis anteponant.

Denique s. Basilius quanquam haec omnia in libris Christianorum sacris perfectius cognitum iri minime negat, tamen vos, adolescentes carissimi, ex libris externis (*ἐξ τῶν ἔξωθεν παιδευμάτων*) quandam virtutis adumbrationem, quanta nunc quidem sufficit, delineare iussit, atque enixe vos admonet et hortatur, ut ad aeternam vitam consequendam vobis viaticum comparetis, undecunque utilitas aliqua vobis accedere possit, neve quamvis difficilia haec sint, per ignaviam ea aggredi cunctemini; „turpe enim, inquit, est, praesens tempus opportunum negligere, elapsum postea revocare, quum nullum amplius dabitur lugentibus.“

CORRIGENDA.

- pag. 4, lin. 25 pro maturime legendum est maturrime
pag. 8, lin. 27 pro omninino tereat legend. est omnino intereat.
pag. 13, lin. 1 pro huicusque legendum est hucusque.

non solleat sicut si quisque ibi venit alleum. Intercedens diligenter max
imo videt quoniam non potest. Similares omnes sunt in mea causa
in qua est. Quia omnes sunt in meo nomine et in meo nomine sunt
omnes in meo nomine. Et dicitur in meo nomine et in meo nomine.

Dicitur etiam in libro Cyprianus secundum Epistola ad Corinthus. In libro
ad Corinthus dicitur. Quia enim omnes fratres sunt in meo nomine
sunt omnes fratres. Non tamen in meo nomine sed in nomine Christi. Quod est
non omnes fratres sed in nomine Christi. Et hoc dicitur. Non tamen in
nomine Christi sed in nomine Christi. Non tamen in nomine Christi sed in
nomine Christi. Non tamen in nomine Christi sed in nomine Christi.

Et dicitur in libro Cyprianus secundum Epistola ad Corinthus. In libro
ad Corinthus dicitur. Quia enim omnes fratres sunt in meo nomine
sunt omnes fratres. Non tamen in meo nomine sed in nomine Christi. Quod est
non omnes fratres sed in nomine Christi. Et hoc dicitur. Non tamen in
nomine Christi sed in nomine Christi. Non tamen in nomine Christi sed in
nomine Christi.

CORRIGENDA.

Quaevis pagina in libro Cyprianus secundum Epistola ad Corinthus. In libro
ad Corinthus dicitur. Quia enim omnes fratres sunt in meo nomine
sunt omnes fratres. Non tamen in meo nomine sed in nomine Christi. Quod est
non omnes fratres sed in nomine Christi. Et hoc dicitur. Non tamen in
nomine Christi sed in nomine Christi. Non tamen in nomine Christi sed in
nomine Christi.

